

N. 8

THALAMO

80

**Dñi. M. IOACHIMI
KIPPII, VIRI DOCTIS-
simi, eruditione ac morum elegantia
ornatissimi, Scholæ Rigis collegæ fide-
lissimi, olim Præceptoris sui plurimū
colendi, SPONSUS**

Et

**VRSVLÆ KLANTIADIS
Virginis lectissimæ, pudissimæq; ho-
nesti quondam & integerrimi hujus vr-
bis civis p. m. CASPARI
KLANTEN filia relicta,
SPONSAB.**

*Gratitudinis & benevolentia ergo
fausta precatur.*

JOHANNES COIEN Rig. Liv.


RIGÆ Livonum

Typis NICOLAI MOLLINI

M. DC. IX.

Inu. N. 6 2338

214



DAllada tu doctam solers huc vsq; colebas,
 Delicium q; fuit turba nouena tuum.
 Atq; vagos Veneris spreuisti sedulus ignes,
 Nil curans quantum numinis illa gerat.
 Telaq; risisti torsit quæ, culte Magister,
 In tua fraudipotens corda Cupido puer.
 Sed commora Venus puerum mox callida rursus,
 Instruit arte, dolis, insidijsq; novis.
 Nec mora: paret Amor (longo nam callidus ipse
 Vsu vir doctus quo capiatur habet.)
 Perforat atq; tuum pectus vehementior ictu,
 Spicula jam nec erunt irrita nostra, refert.
 Hinc animis Venus exultans, pulcerq; Cupido,
 Alloquitur temet nomine quisq; suo.
 Quid thalamum metuis? castos quid respuis ignes?
 Quoq; decet nostras temnere iure faces?
 Dicit conjugij cur avertaris honores?
 Vivis & in viduo sic sine fine toro.
 Fare age, tene movent summi mandata Iehoux?
 Ferreus aut solus numina nulla times?
 Non sic: sed monitus magis, ô præclare Magister,
 Tu tua nunc nostro subdito colla iugo.

Est



KATALOGS

Est nimum felix, est terq; quaterq; beatus,
Cui vultu placido Nympha decora datur.
Nestoreos etenim vitam producit in annos,
Estq; viri firma & fida columna domus.
Quid multis? nemo socialis fœdera vitæ,
Laudibus efferre aut sat celebrare potest.
Ergo animum muta: fidam tibi junge maritam:
Elige cui dicas: Tu mihi sola places.
Hanc duces, hæc ex voto carissima virgo
Incidet in casses præda petita tuos.
Sic ergo admonitus sociam tibi jungere caram,
Fœdere legitimo, docte IACHIME, paras.
Atq; ferens saxum tacito sub pectore vulnus,
VRSULA præ cunctis mox tibi sola placet:
VRSULA sola places, reliquæ secedite, dixti,
Corpore in egregio quis fera corda tument.
Non ego divitias fragilis non munera formæ
Specto (vagum quamvis hæc quoq; vulgus amet)
Verùm quam pietas, summo gratissima celo,
Commendat, casto & pectore sancta fides.
Quam candor mentis, quam rara modestia honesti
Exornat vultus, hæc adamanda venit.
Ergo tibi Sponso tali de virgine grator,
Quæ dotata sat est, & pia casta simul.


Qua

Quam probitas mentis decorat, cui candida virtus;
In niveo mistus cui rubor ore micat,
Hinc animo lætare novâ dulcedine captus,
Edito nunc plausus, Sponse verende, novos.
Læta tuum pectus pertentent gaudia, namq;
Incidit in casses VRSULA blanda tuos.
VRSULA blanda tuos, votis quam mille petisti,
Famineo ex amplo, virgineo q; choro.
At tu Sponsa venusta nimis salve, VRSULA salve,
Tam docto atq; probo consocianda viro:
Qui pius ætatem monitis jam tot regit annos,
Doctrinaq; valens imbuit arte rudem.
Salve iterum, Musis adamatum sola Magistrum,
Sola puellarum flectis amore tuo.
Deniq; quod superest (sed nil nisi vota supersunt.)
Vivite concordés incolumesq; diu,
Ordine sic longo teneros numerate nepotes,
Quos quoq; fors multum non inimica beet.



Oratio Gratulatoria
Ad eundem Dominum Sponsum.
benevolentia & honoris ergo
concinna.

IOHANNI TAVBEN Nobili Livono, eius-
demq; Scholæ discipulo.



Rarissimè pariter & rectissimè veteres li-
terarum suarum monumentis proditum re-
liquerunt: tria tempora mortalibus maxi-
mè esse ominosa & felicia: Primum nati vi-
tatis: Alterum nuptiarum: Tertium mortis: Et sa-
nè si rem ad perpendiculum vera rationis revoce-
mus, res ita habet, nihilq; felicius his tribus homini accidere
potest;

Magno enim gaudio nostri parentes afficiuntur,
quando nos in lucem edunt, praesertim tales qui Patria,
Ecclesia, Scholisq; emolumento esse possint. Et nos
metipsi affatim recreamur, quando videmus, nos à bo-
nis benè natos esse, ut alicubi Plato habet.

Deinde magnam capimus delectationem & nihil
nobis gratius contingere potest, quam in nuptiarum
vincula conijci & in matrimonij leges a DEO consti-
tutas

tulas transire. In sociabili enim vita invenies eam
qua curas tuas subducet, & partem illarum ad se trans-
feret, qua familiam ac genus tuum propaget, qua per
omne vitæ spaciū placidè jucundèq; tecum vivat,
qua tecum sanguinem ac familiam tuam dilatet. Nas-
citur enim in dignè per quem non nascitur alter.

Deniq; magna christiani laticia fruimur, quando
ex hac miseriarum valle ad caelum migramus, ac illinc
DEI, Angelorum, sanctorumq; conspectu, soluti curis
temporalibus per fruimur, nec spe ducimur, nec tene-
mur desiderio bonorum huius seculi, neq; ullus nobis
impendet timor.

Sanè cui hac tria contingunt, meritò in felicium
numerum cooptandus est: atq; cum bonis votis ac o-
mnibus prosequi tenemur.

Itaq; vir Humanissime gratulor tibi, quod ab ho-
nestis ac pijs parentibus te prognatum & in lucem edi-
tum esse videam. Omnino fortunatissima sidera, cum
primum in lucem de matris utero prodires tibi affulse-
runt, & suis donis accumularunt; Quam primum
enim studijs consecratus es, ingenium tuum liberalibus
disciplinis excultum reddidisti, quarum fructum quo-
tidie percipis. A quibus (tua eruditio tibi testimonio
esse potest) te nec ullum commodum aut ocium abstrax-
xisse,



xisse, aut voluptatem avocasse aut somnum deniq; re-
tardasse. Itaq; cum illo Poëtarum principe mihi ex-
clamare libeat:

qua tam leta tulerunt
Secula! qui tanti talem genuere parentes!

Magis vero mihi gaudeo, tibi gratulor, quod per
decursum multorum annorum matrimonio incundo a
Deo reservatus sis: hoc certè medio sexum tuum pro-
generare & sanguinem dilatare potes. Quid enim
dulcius quam filios procreare, alere, educare, in qui-
bus & corporis & animi tui effigiem possis intueri?
Quos osculari quos in sinu tenere, quorum balbutie &
puerili simplicitate mirificè delecteris. Nam si vel ex
picta, vel ficta imagine gaudium capis: quanto magis
ex liberorum imagine, qui te non tantum ore, sed ani-
mo referunt. Nimirum profecto durus ac ferreus ille
homo sit oportet, qui non conjugy amore flagret. Quid
enim uxoris benevolentia, fide, caritate jucundius po-
test inveni? Nihil: Quid suavius, quam cum ad
senectutem usq; maritum uxor, maritus uxorem mu-
tuo amore prosequitur? Nihil profecto. Reliquos a-
micos & sanguine nobis junctos, plerumq; mutare cõ-
suevimus; Uxor vero ad mortem usq; nos comitatur;
aut si fieri posset aut lex pateretur, ipso in funere sese
expectoraret.

Rectè

Rectè autem facere videris meo iudicio Dn. R IP
PI, quod conjugalem vitam amplectaris. Hoc enim
debes natura, patria & tibi.

Naturæ. Omnes enim creaturae inclinant ad so-
cietatem mutuam: Patet hoc in elementis: Ignis enim
& aër tanq; sociabilia elementa, supremum tenent lo-
cum: aqua & terra infimum. Omnia bruta anima-
lia gaudent cohabitatione mutua. Cur ergo solus homo
adversum a natura instituto agere velit? Imò nullum
animal est, quod suam speciem ab interitu vindicare
& propagatione posteritatis immortalē efficere non
conetur.

Patriæ. Humanum enim genus diu interisset, nisi
per honesta matrimonia, in locū morientium hominū,
novi gignerentur & submitterentur homines. Quod
Plutarchus exemplo quodam, tanq; speculo clarissimo
nos docet: Lycurgus enim non solum cives, qui matri-
mony vinculis se non implicarent, celibesq; vivere
mallet a spectaculis prohibuit: Sed etiam quum in
more positum esset, apud Lacedamonios, ut juniores
multum honoris & cultus senioribus prestarent, hoc
honore illos spoliavit, qui conjugibus ductis nolent
augere civium numerum. Cum advenienti juvenis
quidam non assurgeret, atq; ille diceret: Non mihi

B

assu-

assurgens cessisti? Nec tu inquit mihi cessurum genuisti. Tam procax juvenis dictum in seniore bellica laude celebrem, nunquam tulisset populus, nisi pro pessimis civibus habuisset eos, qui sponte steriles esse statuissent, nec agnoscerent quod patria deberent. Nam rem propius intuentibus non ita magnum discrimen est inter eum, qui civem è medio tollit, & qui civem reipublice dare quum possit recusat.

Tibi ut nominis tui memoria in liberis apud posteror vivat.

Etsi vero nonnulli sentiunt: Sapienti uxorem non esse ducendam tamen levissimum id est (ut ajunt) molle brachio profligandum. Antisthenes enim Philosophus, rectè censuit, sapientes a gradu conjugij non esse dimovendos: & non voluptatis sed liberorum causa illos uxores ducere, & cum optima in dote prae ditis congregari debere, ut ex bonis nascantur boni. Leonidas quoque Anaxandria filius, & Cleomenis frater, cum ad bellum contra Persas motum proficisceretur, Gorgoni uxori suae interrogati quidnam in mandatis dare vellet: Nihil aliud quam ut nubas inquit: & bonos liberos parias. Quo dictorio primo ostendit, se ex eo praelio integrum vix evasurum: deinde persuadet uxori, ne solitariam vitam agat, sed matrimonium cum honesto viro contrahat, ac filios in lucem edat. Epaminondas

The-

Thebanus, vir ingentis animi, cum in calibatu viveret, a Pelopida reprehensus est hunc in modum: Nonne tu cura ducere reipublice, qui nullos filios post te relinquis, quorum manu patria salus rite defendi possit. Et Metellus Numidicus dicere solitus est: Si sine uxore possemus esse, omnes ea molestia careremus: Sed quoniam ita natura comparatum est, ut nec cum iis satis commode, nec sine iis ullo modo quis vitam degere possit: saluti perpetuae potius, quam brevi voluptati consulendum est. Hinc Cato Major majori laude dignum censebat eum, qui bonum se gereret maritum, quam qui in ordine senatorio magnus esset. Plura exempla ex Sacra Scriptura fontibus haurire possem si vellem, sed iis brevitate gratia super sedeo. Haec vero Ethnicorum exempla a me prolata ostendunt rectè eos facere, qui vitam ineunt matrimonialem. Qui vero hoc non faciunt. Illi delinquant in naturam, patriam & se calibatam exosculantes.

Et haec lippis ac tonsoribus nota, & radijs solis clariora esse judicamus: ita ut magna teneamur admiratione nonnullos homines hodie reperiri, qui conjugium contumelia afficiant, ejus cultores multis scommatibus proscindant, ac calibatam extollant. O homines profligata vita, & hominum nominibus indignos! Quae
dua-

quæso dignior pæna, accidere potest hominibus ijs legi-
timum contemnentibus matrimonium, quam cum
scortis valitari, & nefandis corporis voluptatibus
indulgere?

Tu vero Dne. KIPPI rectè facis, quod ea villa
ipsorum sparsissima susq; deq; ferens, nec latum (ut
ajunt) unguem, te a vita conjugali deflecti sinas.

Atq; hæc pauca tecum differere volui. In opti-
mam spem vero adducor, hoc meum studium tibi per
quàm gratum esse. Itaq; de uxore ducta tibi gratulor,
& a DEO O P. MAX. peto, ut hoc tuum ma-
trimonium secundantis fortune benignitas excipiat:
tibiq; ea contingant, quæ pro animi tui sint sententia.
Cum primis vero ut ex illa tua conjugæ, talem procre-
es, sobolem, quæ non solum tibi, cognationi affini-
tatiq; tuæ, sed etiam reipub. ac toti
civitati emolumento es-
se possit.



841574

LU Akad. bibl.



817001253

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

